

1477

hostibus, in eorum castris nocte illa, quæ instabat, esse; an in sua redire, nondum remisso prælio, ecce hostes in Venetum militem cum clamore coorti, continuo eos qui in prima fronte dimicabant, circumfistunt. Oritur hic fœdissima cædes: Epiroticus equitatus, circumvento pedite, confessim fugam capeſſit: fugiunt & Latini equites. Eos, quia pernox luna fuit, barbarus infecutus, paſſim totis campis trucidat: usque ad Jalmisam fluvium cædes protracta est: multos eo die & nocte quæ fecuta est, hostis oppressit; sed pene plures Epirotarum perfidia perdidit, quorum ad octo millia quaſi pugnæ ſpectatores toto die immota acie ſteterant. Inde ubi rem Venetam inclinare viderunt, non minus quam hostes in ſylvis & circa fluſmina in noſtros graffati ſunt: mille & amplius ea pugna deſiderati, & in hiſ Franciſcus Contarenus legatus, ac centurionum plerique. Nec hostibus pugna fuit incruenta. Quam diu enim acies Veneto conſtitit, multi aperto mar- te conciderant.

Attulit ejus cladiſ fama īgentem civitati luſtum; ſed longe quidem majorem, quæ in Italia non multo poſt accepta eſt. Occluerant Veneti perpetuo agere poſt primam Turcorum in Italiam eruptionem, præter Sontium amnem, quicquid vadi fuit inter Goricianum pontem & Aquilejæ paludes, antiquæ ripæ fluminis, quæ a recenti alveo non multum abeft, munitione imposita. Admoverant ad id opus multa foſſorum millia ex tota fere continentis ora, quibus Cittadinus Fratrinus, homo non vulgaris induſtria, præfuit. Neque una munitionis facies fuit; ſed juxta paludes, qua deniſiſſima erant nemora, ex craffis proceriſque arboribus conciſis, atque inexplicabili quadam ratione inter ſe contextis conſtitit. Apertis vero campis glebæ ſolo reciſæ in latitudinem septenū pedum locabantur: ſuper illas ſali- gni ramorum trunci, & virgulta quædam ad radicandum apta fufteſebantur; mox alia glebarum manus imponebatur: atque ex hujusmodi materia per aperta, ut diximus, loca productum opus, quod quidem pinnarum fe- rie, interjectiſque turribus, urbici muri ſpeciem procul ſpe-